



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Theologus Parisiensis Inquirenti Duaceno Theologo


[S.l.], 1692


urn:nbn:de:hbz:466:1-39050

447
Th 447.

D. 1
36







THEOLOGUS
PARISIENSIS

INQUIRENTI

DUACENO THEOLOGO

Mentem aperit tàm circa famosas septem
Theses ad mentem D. AUGUSTINI
irrefragabilis gratiæ Doctoris inscrip-
tas, quàm circà iudicium quorundam
Professorum Duacenorum de prædictis
Thesibus.



M. DC. XCII

THEOLOGUS
PARISIENSIS
INQUIRITI
DUACENO THEOLOGO

Montem aperit tam circa famolas septem
Theses ad mentem D. Augustini
irrefragabilis gratie Doctoris inscrip-
tas, quarum circa judicium quorundam
Professorum Duacenorum de predictis
Thesibus.



M. DC. XCII

T H E S I S P R I M A.

Gratiam efficacem nec semper, nec omnibus dari probat omnium Theologorum consensus, & quotidiana tot peccatorum experientia, illam necessariam esse, ut quis vere & propriè possit opera bona exercere, tentationes superare, &c. fatetur quisquis in traditione Ecclesie, in Augustino, aliisque sanctis Patribus peregrinas non est.

Iudicium prædictorum Professorum Duacenorum.

Hæc Thesis, qua dicitur gratiam efficacem necessariam esse, ut quis vere & propriè possit opera bona exercere, doctrinam continet Augustinianam & Evangelicam, intelligendo de potentiâ complectente omnia necessaria ad agendum. Ita accipit Augustinus loquens de Petro, putabat se posse quod se velle sentiebat lib. de gratia & lib. arb. Ita Christus in Evangelio Joan. cap. 15. sine me nihil potestis facere, sine me utique operante velle & perficere.

Iudicium Theologi Parisiensis.

Judicium (meo sensu & salvo meliori) debuit esse quod 2. pars prædictæ Thes. ubi dicitur gratiam efficacem necessariam esse ut quis vere & propriè possit opera bona exercere, tentationes superare &c. sit propriè & absolutè loquendo hæretica. Hoc enim est dicere quod absque gratia efficaci nemo potest tentationes superare, vel bona opera exercere, quod est dictu hæreticum, cum hinc sequatur mandata Dei aliquibus justis (nempe iis qui tentationi succumbunt, putà Petro quando Christum negavit) esse impossibilia. Tunc enim Petro deerat gratia efficax quam Thesis necessariam dicit ut quis possit tentationes superare &c.

Duacenorum Judicium in hoc peccat, quod prædictam Thesim in se hæreticam non modò non improbet, sed

sed etiam approbet magnificis cum laudibus, cavillatoriè & dolosè subjungens hæc verba (intelligendò de potentia complectente omnia necessaria ad agendum) & nihil pronuntians de thesi si intelligatur de potentia ad agendum propriè dictâ quæ non sit adjuta gratia efficace.

Inquirendum mihi videretur à Duacenis prædictis quidnam intelligant per potentiam complectentem omnia ad agendum necessaria.

Vel enim per istam potentiam complectentem omnia necessaria ad agendum intelligunt gratiam efficacem; vel aliquid aliud à gratia efficace.

Si primum, propositio contenta in Thesi sit absurda & cavillatoria; hoc est enim dicere quod gratia efficax sit necessaria ut quis possit potentia per gratiam efficacem adjuta bona opera exercere, quod est illusorium.

Si Secundum; assignent istud aliud à gratia efficace distinctum; tam necessarium ut verè & propriè possit quis tentationes superare &c. & inde sequetur quod gratia efficax non sit necessaria, sicut dicit Thesis ut quis tentationes possit superare.

Exemplum Petri Christum negantis videtur mihi non aliâ mente fuisse laudatum, nisi ut probaretur quod Petrus tunc gratia efficace non adjutus quando Christum negavit, non poterat tentationem ad Christum negandum inducentem superare: quod est hæreticum; sic enim aliquibus justis mandata divina essent impossibilia. Sensus S. Augustini est quod Petrus de se præsumens temerè putabat se posse propriis suis viribus quod se velle sentiebat, cum tamen nihil possimus facere sine Christo operante in nobis tam perficere quam velle.

S E C U N D A.

Igitur qui gratiam aliquam sufficientem ab efficace distinctam, in hunc amissa innocentia statim invehunt,

mi.

mirum quantum ab Augustini mente deficiunt, qui naturam
 & integræ gratiam sufficientem tantum, lapsæ verò effica-
 cem tantum attribuit. Hæc si indubitata Augustini prin-
 cipia vel minimum concutias, tota coelestis illius doctri-
 na compages solvatur, necesse est.

Judicium Duacenorum.

Doctrina est verè Augustiniana rejiciens pro statu na-
 turæ lapsæ gratiam sufficientem Molinisticam, de
 quâ intelligi hanc secundam Thesim patet extertiâ. De
 ea sic Estius noster in cap. 3. Apoc. v. 20. *quam gratiam
 sana doctrina non recipit* vide censuram Duacensem ad
 assertionem secundam.

Judicium Theologi Parisiensis.

Judicium debuit esse quod ista Thesis non admittens
 in statu naturæ lapsæ aliud auxilium interius quam ef-
 ficax, sit hæretica & falsò attributa Sancto Augustino.

Peccarunt Duaceni Theologi prædictam Thesim non
 improbantem cum sit hæretica, contenti si subdolè di-
 cerent rejiciendam gratiam sufficientem sensu Molinisti-
 co, de quo sensu non erat quæstio, quando quidem
 Thesis de gratiâ sufficiente simpliciter & generatim lo-
 quebatur.

Et quidem non videntur Molinistæ gratiæ sufficientis
 vocabulum in scholas invexisse, cum unam tantum ad-
 mittant gratiam, quæ det homini facultatem seu poten-
 tiam ad agendum, ita ut libero arbitrio gratiâ adjuto im-
 putari debeat si potentia redigatur ad actum, vel si non
 reducatur.

Thomistæ verò gratiæ sufficientis vocabulo opus ha-
 buerunt, cum velint quod nemo benè agit nisi adjutus
 gratiâ efficace, quâ solâ gratiâ admittâ explicari non po-
 test quomodo homini non habenti gratiam efficacem

men.

mandata divina non sunt observari impossibilia. Si enim nulla omnino sit alia gratia quam efficax, qui non custodit mandata Dei, nullam habet gratiam quâ mandata divina sint illi custodiri possibilia.

Hinc evidenter patet quod è re Thomistarum fuerit gratiam aliquam sufficientem admittere servando isti gratiæ quod det posse agere, gratiæ vero efficaci quod det agere.

T E R T I A.

At quid de gratia sufficiente sensu Thomistico? minus displicet; quia nisi hallucinari velis, particulam includit alienantem, & nebuloso tempore occultendis gratiæ Evangelicæ misteriis est peridonea. Invenim cum vox illa, & res voce expressa Augustino & purioribus Ecclesiæ sæculis ignota fuerit, illam merito ex sana Theologia relegandam judicamus.

Judicium Duacensorum.

P Rorsus optandum foret, ut ly (*sufficiens*) nunquam isto significato in scholas inductum fuisset, quo multi utuntur Thomistæ, quia revera aliud exprimere videtur, quam ipsi significare velint. Tamen enim sufficiens dici possit ad posse aliquod propinquius quam est posse naturæ, tamen revera ad agendum sola non sufficit. Unde melius censura natura Duacensis ad assentionem secundam sufficiens auxilium dicit esse illud, præter quod ex parte Dei non est aliud necessarium & confundit cum gratiâ efficaci. Hinc benè dicit Thesis, quod notio gratiæ sufficientis, etiam sensu Thomistico, ignota fuerit Augustino & purioribus Ecclesiæ sæculis ad salvandam libertatem, utpote non necessaria: tamen fatendum sit eam nihil officere veritati, dummodò Moliniana significatione omnino exuat.

Judicium Theologi Parisiensis.

Judicium debuit esse quod hæc Thesis ab initio usque ad verbum (*interim*) male sanæ doctrinæ veneno intacta sit, (cum gratiam sufficientem Thomistarum eatenus tantum recipiat, quatenus videtur gratia ista non dare verum posse ad agendum, ita ut sit nomine sufficiens revera autem insufficientis) & quod à prædicto vocabulo (*interim*) usque ad finem sit scandalosa, sanæ Theol. injuriosa & in hæresim inducens, quatenus dicit rem vocabulo gratiæ sufficientis expressam Augustino & purioribus Ecclesiæ sæculis ignotam fuisse & è sana Theologia merito relegandam quod est profectò dicere ultra gratiam cum qua agimus, nullam admittendam esse gratiam cui resistimus & qua adjuti possumus agere.

In hoc prædicti Duacenses peccant quod nihil emendent neque improbent in hac thesi, quin imo confirment & quæ temerè & scandalosè ponit thesis probare conentur.

Notandum maximè videtur quod Duacenorum judicium gratiam sufficientem sive sensu Molinistico, seu Thomistico non approbans, imo rem voce gratiæ sufficientis significatam disertè improbans, nullam aliam admittat gratiam, quæ det verum posse agere & cui tamen resistatur, quod dubio procul hæresim sapit.

QUARTA.

Peccatum Philosophicum infelix radix est, in depravata Ethica seminariis pridem occultè adolescens: mox ubi erupit, Vaticana sensit fulmina; varique errores infallibili connexionione cum detestando illo dogmate conuatiati, quasi surculi in radice, eodem ictu protriti sunt.

Judicium Duacenorum.

Huc Thesi neminem esse opinamur qui refragari possit.

Judicium Theologi Parisiensis.

Judicium debuit esse quod prima pars quartæ thessalensis epistolæ mis malignè & improbè, sicut non obscure, ad Iulitarum collegia alludat, quasi philosophici peccati dogma in iis datâ operâ enutritum diu & fortum fuerit, quod sincera charitas non credet.

Q U I N T A.

Hæc est damnata propositio: Peccatum Philosophicum in eo qui Deum ignorat, non est offensa Dei, igitur ita licet arguere contradictoriè: Peccatum Philosophicum in eo, qui Deum ignorat, est offensa Dei. Pergo ulterius. Si offenditur Deus qui ignoratur, non excusat ergo à peccato ignorantia; adeoque tot studiis & contentionibus agitata questio, Pontificis braccato manet decisa, videlicet quod nulla ignorantia, saltem in juveniura, excuset à peccato.

Judicium Duacenorum.

Doctrina asserens nullam ignorantiam juris naturæ excusare à peccato, uti non excusat in peccato quod vocant Philosophicum est sana, nec obscure tradita à SS. Augustino, Bernardo, Thoma & plurimis antiquis ac melioris notæ Theologis.

Judicium Theologi Parisiensis.

Judicium debuit esse quod nulla ignorantia saltem primorum principiorum juris naturæ, puta quod nemini injuria facienda sit, parentes sint colendi & similia.

excu.

excuset à peccato : hoc enim certum est , namque nulla est talis ignorantia invincibilis ; sed non est æquè certum , imo verò maximè incertum ac dubium quod nulla ignorantia juris naturalis excuset a peccato : sic enim in materia usuræ quæ in se est peccatum contra jus naturale, rudis & ignarus homo aliunde probus in nullo casu posset excusari à peccato formali , quod est æquo rigidius : sunt enim aliqua motiva pietatis speciem præ se ferentia quæ videntur inducere posse hominem , qualem supposuimus, ad accipiendam aliquam mercedem propter mutuum, puta quod mutuata pecunia multo utilior fuerit mutuataris quam sit per acceptam mercedem mutuanti ; sic etiam in mendacio , quod similiter est contra jus naturæ , nemo posset excusari , cum tamen fieri possit ut officiosum mendacium bonâ fide perpetretur , sitque peccatum tantum materiale. Quod in multis aliis casibus contra jus naturale potest occurrere,

S E X T A.

Sed quomodo cum illa Peccati Philosophici censura conciliari potest bicornis voluntatis indifferentia, & Aristotelica libertatis definitio ; Libertas est potentia , quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere & non agere : cum utique non possit tam vitari quam non vitari id quod ignoratur ? Cave ad sensum divisum & compositum , aut ad indifferentiam judicii confugas : vana enim sunt illa Neotericorum effugia , declinandis Senipelagianorum terribilamentis male adinventa. Satius igitur nobis videtur, & Sancti Augustini principiis conformius , ejusmodi libertatem in flexibili ad libitum voluntatis indifferentia & inexpedita ad utrumlibet potentia consistentem , post peccatum Aaa proferre rejicere.

Judicium Duacenorum.

NEgat hæc Thesis ad libertatem in hoc statu requiri bicornem illam ad utrumlibet indifferentiam, nempe, ut loquitur, expeditam quâ animus in bonum æquè ac in malum se flectere possit, quasi semper habeat receptam & suo nutui obsecundantem gratiam, ac merito id negat, cum in ignorante Deum apertè illa desit. Neque putamus necessarium confugere ad sensum compositum & divisum, neque ad indifferentiam judicii, cum absque istis B. Augustinus & duce Augustino Ecclesia, omnia adversariorum tela retuderit & concordiam libertatis cum gratiâ plenè defenderit.

Judicium Theologi Parisiensis.

HÆc Thesis negans libertatem esse potentiam quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere & non agere, & rejiciens quod libertas in flexibili ad libitum voluntatis indifferentia, vel in expedita ad utrumlibet potentiâ consistat, videtur negare libertatem à necessitate & eam omnino respuere, maximè cum non assignet quid libertatis nomine intelligendum sit, ac proinde hæresim redolere, cum de fide sit hominem liberum esse à necessitate quando Christianè vel malè agit.

Duacenorum judicium peccat quod non obscurè etsi callidè faveat doctrinæ in sextâ Thesi contentæ. Nam primò benignè explicat everisionem omnis indifferentia seu veræ libertatis à thesi temerè & scandalosè inductam. Secundò eandem libertatis destructionem astruere conatur exemplo ejus qui Deum ignorat. Tertiò dicit quod absque illâ indifferentiâ retundi possint adversariorum tela & libertas cum gratiâ conciliari, non assignando quomodo hæc fieri possint; quò meliùs non potuit favori prædictæ thesi hæresim sapienti.

S E P.

S E P T I M A.

Inferes illicò, necessitatem induci in actiones humanas. Apage inania illa consecraria, centies ex famosis quinque Propositionibus perperam accersita & centies explosa. Necessitatem quidem naturæ & immutabilitatis in hoc viatoris statu abhorremus, aliam verò quamlibet necessitatem nihil est quòd reformidemus, duce Augustino de Civit. Dei l. 5. c. 10. Si autem definitur necessitas, secundum quam dicitur necesse esse ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus ne nobis auferat libertatem. Hanc necessitatis cum libertate concordiam deinceps agnoscat, quisquis Catholicè sentiet, & pestiferam Peccati Philosophici doctrinam serìò ejurabit.

Judicium Duacerorum.

HÆc Thesis quam justè adhorret necessitatem naturæ & immutabilitatis tanquam libertati exitiosam, tam meritò admittit alias necessitates ut libertati nihil officientes, quales sunt illæ quas vocant scholastici infallibilitatis, consequentiæ, ex hypothesi &c. qualem admittit Innocentius I. ad Concilium Carthaginense dum dicit *neceffe est ut quo auxiliante vincimus, eodem rursus non auxiliante vincamur.*

Has proinde theses sic intelletas, prout etiam intelligi debere credimus ab omnibus, qui in doctrina Augustini non planè sunt hospites, judicamus doctrinam sanam & irreprehensibilem continere.

Judicium Theologi Parisiensis.

HÆc Thesis quatenus aliam non admittit necessitatem quæ libertati ad merendum requisitæ officiat, quam
ne-


necessitatem naturæ & immutabilitatis est hæretica & coincidit cum tertiâ quinque propositionum Jansenianarum.


Peccat Duacenorum iudicium doctrinam libertatis in Thesi contentam approbans, & nullam aliam agnoscens seu assignans necessitatem libertati nocivam, quam necessitatem naturæ & immutabilitatis.


Innocentius I. peiperam exponitur in verbis citatis, quasi velit Pontifex quod simus ad agendum liberi etiam quando necessitamur. Sed ita videtur debere exponi, quasi dicat, sicut quando vincimus Deo auxiliante vincimus, ita necesse esse quod Deo non auxiliante vincamur; ita ut si Deus per suam gratiam nobis non auxiliaretur, necesse esset ut vinceremur, quemadmodum necesse est quando vincimus, quod suâ gratiâ vincamus. Quod nullatenus officit Catholicæ sententiæ astruenti libertatem à necessitate tamquam ad actus vitæ æternæ meritorios necessariam.


V. N. D. B. L. C.














statera
Libelli
famosi
De
Malines.

DI

Th
447

20